UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Methodvs Expeditæ Confessionis Tum pro Confessarijs, tum pro Pœnitentibus

**Tamburini, Tommaso**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Vel impotentia physica, ad quam reducimus necessitatem Moribundi

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41773**

Visual Library

### *Impotentia Phyſica; ubi de Confeſſione, & abſolutione moribundi.*

4 IAm primum caput excuſationis, eſt phyſica impotentia. Primò ergo quando quis ob vicinam mortem phyſicè loqui non valet, dato ſigno, quo moriens petita Confeſsione, vel aliquo, ſi poteſt, dicto peccato, ſaltem in genere, poteſt abſolvi brevi abſolutione infra ponenda libro 3. capit. primo §. 2. idque etiam ſine injunctione pœnitentiæ: quia hæc in neceſsitate omitti poteſt, cum ſit ſolum pars integralis.

5 Secundò idem dic ſi ob vicinum naufragium, ſeu prælium, vel quid ſimile, non eſt tempus omnia peccata deponendi. Immo quando imminens periculum, aliud non permitteret, poſſent multi *b* ſimul dolo-

b *Conine. de Sacr d. 7. n.76. De Lugo de pœn. d. 27. à ſec*

rem oſtendere, & aliqua peccat[a] confiteri, & ſic ſimul abſolvi.

6 Tertiò ſi quis ſit ſurdus, vel mutus; dicat enim quantum moraliter poteſt, &c. *e*

*c Layman lib. 5. tr. 6. c. 8. n. 9.*

7 Sed circa primum caſum de moribundo, ſunt aliqua non parum neceſſaria nobis addenda. In hoc enim certum ſit; Primo, dato ſigno à pœnitente, ipſo Sacerdote præſente, poſſe illum ab eodem abſolvi.

8 Rurſus certum ſit, dato ſigno, non præſente Sacerdote, ſed præſente alio, quia alius coram infirmo teſtificetur ipſi Sacerdoti jam facto præſenti, de voluntate moribundi, poſſe, immo, & debere abſolvi: ut docte probat Coninch. *d*. Id, quod intelligo etiam nulla in abſolvendo adhibita conditione. Ratio *e* eſt, quia licet quando, qui operatur ex aſſenſu dubio, ut Sacerdos dubitet, an ſigna a infirmo exhibita, fuerint ex ver[o]

*d Coninc. de Sacr. d. 7. du 10*

*e De Lugo de pœn. d. 17. ſect 5. §. 4. n. 9.*

dolor

dolore, vel an quando dixit infirmus ſe velle confiteri, fuerit ſui compos; licet inquam tunc ſit apponenda, ſaltem mente concepta, conditio (id eſt, ſi es rectè diſpoſitus, ſeu ſi es capax, te abſolvo, & cetera.) tamen, quando operamur ex aſſenſu probabili, ut in caſu de quo loquimur; operari poſſumus abſolutè, & ſine conditione; quia aſſenſus præcedens abſolutus eſt, quamvis ſit probabilis.

9 Apud eundem Coninch invenies hanc doctrinam non eſſe contra illud decretum Clementis VIII. quo damnavit hanc propoſitionem. Licet per literas, aut internuntium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere. Et rectè; nam noſter caſus eſt longè diverſus, ut patebit prædicta Decreti verba conſideranti; & extat ex eodem Coninch

teſtimonium ejuſdem Clementis datum Bellarmino, ſe non intelligere damnare doctrinam modò traditam.

10 Reſtant igitur duo quærenda. Primò quando nullum prorſus ſignum dat moribundus. Secundò quando dat ſignum, ſed abſente Sacerdote; at procul ab infirmo: an Confeſſarius poſsit nihilominus, abſente teſte, quaſi abſente interprete, abſolvere.

Quoad primum, dico in rigore Theologico talem moribundum, qui ne nutum quidem dedit petitionis Confeſsionis, nequaquam abſolvi poſſe. Ratio eſt, quia nulla tunc adeſt materia proxima, nempe Confeſsio pœnitentis exterior, & ſenſibilis, ne generaliter, ne confusè quidem. Lege Coninch, *f* & De Lugo. Quod ſi citentur aliqui Canones ſtatuentes abſolvi moribundum poſſe, qui nullum dedit

*f Coninc. d.5 de Sacram. n 28*

dedit ſignum; ſunt ii intelligendi ſi nullum dedit ſignum præſenti Sacerdoti, dedit tamen aſtantibus. *g*

11 Dixi (in rigore Theologico) nam quia nonnulli Doctores *h* putant ejuſmodi moribundum ſatis ſuperque petere Confeſsionem per mores Chriſtianos tota vita ſenſibiliter peractos: atque adeo putant abſolvi poſſe, ſaltem ſub conditione, ſi eſt capax abſolutionis, idcirco in praxi cenſeo poſſe, ſaltem ſub conditione dicta: immo propter tam urgentem inſtantis mortis neceſsitatem, etiam debere. Ratio eſt, quia per conditionem cavetur injuria Sacramenti: & ex alia parte conſulitur, quantum fieri poteſt, ſaluti moribundi, qui in tali articulo præſumi ſaltem attritus poteſt.

12 Quid, ſi fortè ita actualiter peccando, ſubitò deſtituatur ſenſibus, ut non poſsit, humani-

g *De Lugo de pœn d. 17. ſect. 3.*

h *Homob. Molfeſ. Lotterius, De littera is aliq; apud Diā. p 3. tr. 3. reſ. 8.*

tus loquendo atteri? Reſpondeo tunc non eſſe præſumendum attritum, atque adeo nec abſolvendum docent communiter; ſed ego ſub prædicta *i* conditione vix illum regulariter ſine abſolutione dimitterem: non quia velim abſolvere non diſpoſitum, ſed quia rariſsimè evenit, ut tam cito ſenſibus quis, dum actu peccat, deſtituatur: ita ut vicinus morti non velit ſuæ ſaluti conſulere per aliquam attritionem.

13 Quoad ſecundum; An ſcilicet, dato ſigno abſente Sacerdote, & abſente eo, qui de ſigno in ſua præſentia dato teſtificatus eſt, abſolvi moribundus poſſit; dicunt aliqui non poſſe. Ratio potiſsima eorum eſt, quia putant id prohiberi à prædicto Decreto Clementis VIII. At dico etiam in rigore poſſe, & debere, etiamſi teſtis ſit unicus, qui de ſigno coram ſe dato teſtificatus *l* eſt, & non ſit præſens: id-

que

i *Vid. Coninc. in ſimili d.* 19. *de extrem. unct. dub.* 5 *cit. Suar d.* 42. *de ſacr. ſec.* 1 *n.* 10.

l *Coni. de ſacr. d.* 7. *dub.* 10. *Prep in* 3 *p. de qualit. Conf. du* 3. *n* 76 *Vide etiã De Lug. de pœn d.* 17. *tota ſect.* 4. & 5.

que non ſolum ſub conditione (ſi capax eſt) ſed etiam abſolutè. *m* Ratio eſt, quia moribundi neceſsitas urget nos, ut quantum poſſumus, ei conſulamus, & ex alia parte nihil eſt, quod impediat. Confirmo; quia ita docetur à Concil. Arauxicano, à Carthaginenſi, à S. Leone, à Rituali Romano Pau i V. qui fuit poſt Clementem VIII. fusè citatis à Coninchio, & Præpoſito ejus collega; cum enim hi non diſtinguant, an aſtantes debeant ferre teſtimonium præſente, vel non præſente infirmo; nec nos diſtinguere debemus. Quod autem huic doctrinæ nec illud Decretum, nec aliæ rationes obſtent; fusè apud eoſdem lege, ſi lubet.

*m De Lug. ib. ſec. 41. 5.*

14 Sed hic eſt ſcrupulus aliquibus Confeſſariis amovendus. Dictum eſt prædictum infirmũ, dato ſigno, eſſe abſolvendum. Iam quodnam eſſe hoc ſignum

debet ? Dico ergo ejuſmodi ſignum triplicis generis eſſe poſſe. Primò poteſt eſſe ſignum ordinatum ex natura ſua ad Confeſsionem; ut ſi Confeſſario ipſi, vel aſtantibus infirmus dicat, ſe dolere de peccatis, ſe petere veniam peccatorum, ſe velle confiteri : & tunc non eſt dubium n ſufficiens eſſe ſignum, ut is abſolvatur.

n *Suarez, Vaſ. Bon. aliiq; apud De Lug. d. de pœn.* 17 *ſec.* 22. *n.* 26.

15 Poſſent ſecundò exhiberi hujuſmodi ſigna ſine ulla mentione, vel clara ordinatione ad Confeſsionem ; ut ſi infirmus tundat pectus, dicat Miſerere mei Deus, & ſimilia; & tunc etiam ſufficiens eſſe ſignum putandum eſt ; o quia in tali caſu extremæ neceſsitatis, ſufficit tacita petitio Confeſsionis, qualis hæc præſumenda à Chriſtiano eſt.

o *Ibid.*

16 Poſſunt tertiò haberi hæc ſigna ſub dubio, an oriantur ex pœnitentia, & dolore de pecc-

tis, an ex mœrore, metu, vel anguſtia morbi, vel mortis; ut ſi petenti ſignum an velit confiteri reſpondeat infirmus ſolum ſuſpirando, vel lachrymando, vel manum Confeſſario ſtringat: poteſt enim id eſſe à vi morbi manus nervos contrahentis, vel ex alio capite: & tunc dicunt aliqui etiam abſolvendum, *p* ſed ſub conditione, ſaltem animo retenta (ſi eſt rectè diſpoſitus,) quia in illo periculo, nihil nocet ſic abſolvere, & multum non abſolvere, noceret.

p *Ibid.*

17 Petes adhuc, qui prius per aliquod ex tribus prædictis ſignis, vel etiam expreſsè petiit Confeſſionem, & deinde incidit in phrænesim, poteſtne abſolvi? Reſpondeo, ſi talia ſigna edidit morti proximus: poteſt modo prædicto: *q* quia præſumitur perſeverantia diſpoſitionis debitæ. At ſi hæc ſigna edidit, quando erat ſanus, longè à peri-

q *Layman apud De Lug. ibid. q.3,0.*

periculo mortis; non poterit ex hoc capite: quia non præſumitur actu diſpoſitus; ſeu in illa diſpoſitione, ut oportet, perſeveraſſe. Dico ex hoc capite: nam ex alio capite, quod nimirum poſſet præſumi in ea vicinitate mortis moribundum habere lucis intervallum, & ſe atterere; poſſet ſub conditione, abſolvi.

### *Impotentia Moralis, ubi de abſolutione reſervatorum diminuta.*

18 SEcundum excuſationis caput ut taceri aliquod peccatum mortale poſsit: eſt moralis impotentia: quæ eſt quoties pœnitens ex Confeſsione alicujus peccati, prudenter, aut ſibi, aut proximo aliquod notabile damnum timet. Multos autem caſus certos, nonnullos verò dubios complectitur hoc caput.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN